GUILELMUS PERALDUS. HUGO DE SANCTO VICTORE. HUGO DE FOLIETO. SMARAGDUS. PETRUS DAMIANUS

Österreich (?), 1435 — Seite 47r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40507
Copyright: Melk, Benediktinerstift

C. ix. Et notandum quatuor tibi innocentie.
or partes esse innocentie. Prima pertinet
ad id quod est super nos, deum scilicet. Secunda ad nos. Ter-
tia ad id quod est iuxta nos, scilicet ad proximum. Quarta
ad id quod est infra nos, scilicet temporalia bona.
Qui primam partem innocentie habet, cavet ne
deo noceat vel dei gloriam usurpando, vel
eam ledendo, vel diminuendo. Qui secundam
partem habet, servat conscientiam mundam. Qui ter-
tiam partem habet, servat famam bonam, ne exem-
plo suo malo noceat proximo. Qui quartam
partem habet, abusionem bonorum temporalium cavet.
Hee quatuor partes innocentie sunt quasi quatuor la-
tera claustri spiritualis, infra quod bene ordina-
tus deambulat, secundum illud psalmi: Perambulabam
in innocentia cordis mei. Pratum vere ame-
nissimum est conscientia sacris meditationibus
intentissima, celestibus desideriis flagran-
tissima, ubi velut lilia candent affectio-
nes castitatis, et velut rose rubent affe-
ctiones patientie et pietatis, ubi velut vio-
le redolent affectiones humilitatis. In
medio spes velut laurus perpetuum virore
prestat et umbraculum, ubi non deest aqua
celestis doctrine, unde est viriditas, secundum illud
ecclesiastici xxiiii: Sicut omnes aquam viriditas, et ad
oram fluvius. De nocumentis que mali inferunt

C. x. Item notandum quod in bonis in religi-
religione mali multis modis one
nocent bonis. Quantum ad bona temporalia no-
cent eis, vel superflue circa se ea expendendo,
vel hiis quibus danda non erant ea dando.
Nocentes primo modo similes sunt usurariis, qui
volunt socii esse in lucro et non in dampno.
Minus enim ceteris volunt laborare, et plus ceteris
consolationis habere. Exemplum huius nocumenti
habemus in iuda proditore, qui fur erat, et loculos
habens que mittebantur portabat, Iohannis xii. que dan-
da erant pauperibus dabat uxori sue et fili-
is. Satis deberet sufficere ad compescendum
ab hoc peccato pena infelicis mortis, quam huic pec-
cato ei occasio fuit. Suspensus enim crepuit
medius, actuum i. Nocent etiam mali bonis in

religione, subtrahendo eis debitum beneficium, et
prestando eis salutis impedimentum. Fratrem adversarii
invadendo verbo detractionis vel convicii fratribus
iniuriando. Subtrahunt eis beneficium consi-
lii, exhortationis, consolationis, exempli
boni, adiutorii, et correctionis. Unde innocen-
tes non sunt. Augustinus: Duobus modis nocet homo, si
facit miseriam, vel si deserit miserum. Idem:
Innocentes non estis, si fratres vestros quos iu-
dicando corrigere potestis, tacendo perire
permittitis. Salutis prestant impedimentum,
qui ministrant malum exemplum, qui volentibus
ire in paradisum resistunt, trahunt in infer-
num quos trahere debuerant in paradisum.
Adversarium iuvant dum peccant. Se enim dum
peccant ligant, et impotentes se reddunt
ad adversarii impugnationem. Adversarium
etiam iuvant dum verbo vel facto ad malum fratres
incitant. Quod non est parva proditio. Manife-
stus proditor iudicaretur, qui in conflictu exi-
stens, cum deberet iuvare suos, verteret se ad
adversarios, et impugnaret socios suos. De hiis
que incitare possunt unumquemque religiosum, ut

C. xi. Sequitur de dilectione. Fratres suos amet.
Et cum is qui est in religione
debeat diligenter operam dare ut fratres amet
et ab eis ametur, primo tangetur de hiis que inci-
tare possunt ut eos amet. Secundo de modo amandi.
Tertio de hiis que valde valere possunt ad hoc ut
ametur. Quarto specialiter de amore inimicorum.
Circa primum vero notandum quod ad amandum
proximum primo incitat natura. Secundo scriptura. Tertio gratia.
Quarto ad idem valere possunt exempla. Quinto
potest ad hoc valere si considerantur dilectionis utilitas
magna. Sexto si considerantur odii dampna.
Natura ad hoc incitat, cum naturaliter precepti iuris naturalis
in corde hominis sint scripta, quorum primum habetur Thobie
iiii: Quod ab alio tibi oderis fieri, vi-
de ne aliquando alteri facias. Secundum Matthei vii:
Quecumque vultis ut faciant vobis homines,
et vos eadem facite illis. Dilectio est debi-
tum naturale, quo unusquisque homo alligatus est alteri, a quo
debito minus absolvitur, quantumcumque ab eo
solvatur. Unde super illud Romanorum xiii: Nemini quicquam de- nullus